



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

Cap. V. Reliquum secundae partis internae proponitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873

RELIQVVM

SECVNDAE PARTIS
INTERNAE PROPONITVR.

Caput V.



SATIVM inter membra,
& Pij V. monumentum
intercedens vtrinq; mar-
mora varij coloris inru-
stant; focci, basæ, & para-
stadarum tæniæ ex eadem

materia, atque opere constant, qua altera
parte tradita. Parastadæ ex amatistis lapidi-
bus aureum textile imitantibus, alabastritis,
lyncurijs, insistis, camibus, onichinis, lapi-
de porta sancta, glareæ lapide vario. Supra
primam coronidem spatium intra fornici-
curvaturam quatuor Reges occupant, qui à
fenestrâ dextris consistunt. AMINADAB
NAASSON. A sinistris verò. SAL-
MON BOOZ DE RAHAB.

Matth. cap. 1.

In coronæ angulis, duo Angeli pedibus
innixi apparent, arcum continentes, ad quos
in quadrato, opere tectorio, atque auro exor-
nante quatuor Reges succedunt à S. Mat-
thæo in Beatæ Virginis, & Saluatoris genea-
logia numerati. Quia verò sinistra arcus
pars propè alteram iam descriptam, vtriusq;
partis angulum participat, necessarium vi-
detur ad rem perfectè tenendam, eosdem
Reges iterare. Igitur ab angulorum læua,
egregiè Iesse, & David Rex picti cum nomi-
nibus renident, hoc pacto. IESSE, ET
DAVID REX. A dextera perfimili trian-
gulo, atque tectorio. PHARES, ZA-
RAM DE THAMAR.

Matth. cap. 1.

A læua versus Pontificiæ sedis solium in si-
nistro spatiorum latere à parastadis arcus dis-
secti fictorum, loculamentum videmus san-
cti Pauli effigiem stantem conseruans, ex
albo marmore diligenter formatam. Id
quadratum supereminet ex tectorio inaura-
to infra primam facelli coronam situm, in
quo est coloribus expressa Angeli ad S. Iose-
phum præceptio, cum Beatam Virginem de-
serere cogitaret, dicentis: *Ioseph fili David noli
timere accipere Mariam conuigem tuam, &c.*
supra hanc historiam eodem parastadarum
ordine Coronis occurrit, cui huius partis ar-
cus nititur; in facie verò quadratum ex te-
ctorio inaurato formatur; in quo duo Reges

Matth. cap. 1.

A depicti notantur, SALAMON, RO-
BOAM.

Ab huius partis dextera est D. Hierony-
mi ædícula, supra quam in parastadarum
medio dissectum arcum sustentium qua-
dratum existit eadem materia conditum.
Beatæ Virginis historiam proponens, cum
ab Angelo nuncium recepit. Huic facellum
ambiens prima corona succedit, atque ar-
cum sustinet. Supra coronam ad sectum
arcum, quadratum ex tectorio adest, in quo
coloribus notatur IACOB, ET IVDÆ
CVM FRATRIBVS HISTORIA.

S. Bern. homil. 3
sup. verb. misit
est.S. Amb. lib. 2. in
Iac.

Matth. cap. 1.

Integri arcus fornice in medio est figu-
ra ouatam speciem representans, & Ange-
lorum Choros canentium ob Seruatoris
natalitia, continet. Super tres arcus se-
cunda corona se diffundit; huic parastadæ,
atque parastadarum bases nituntur cum ca-
pitellis ordine corinthio, & fenestras conclu-
dunt, atque Tholi tympanum efformant. Ex
vno ad aliud capitellum Zophorus pertingit
tectorio conflatus, varia Sixti V. gesta conti-
nens. Supra tertiam coronam epistyliorum
antistholi costæ se erigunt inaurato tectorio,
atque ecclesiasticis emblematis ornata. in
medio verò amplum vanum superest, Ange-
lorum legionibus plenum ob Christi natiui-
tatem exultantium. Super tholi apicem la-
ternula comparet, cui tres montes cum stel-
la inhærent, quæ Sixti Quinti insignia

ex parte proponunt. Ad hæc
Cruz consequitur ex de-
aurato metallo con-
flata. Atque
hæc de
tali parte sufficiant, quæ
magis ex delineatione
comprehen-
dentur.



DE